# DISSERTATIO MEDICA
## INAUGURALIS
QUÆDAM DE
# PHRENITIDE
COMPLECTENS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

**D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.**

*ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;*

NECNON

AMPLISSIMI *SENATUS ACADEMICI* CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ *FACULTATIS MEDICÆ* DECRETO;

**Pro Gradu Doctoris,**

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES GOODWIN WELCH,

Anglus,

REG. COL. CHIRURG. LOND. SOCIUS.

AD KALENDAS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.



EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXV.

VIRO SPECTATISSIMO

THOMÆ S. W. SAMWELL, ARMIGERO,

APUD "*UPTON HALL,*"

IN AGRO NORTHAMPTONIANO

DEGENTI;

MULTIS VIRTUTIBUS INSIGNI,

OB AMICITIAM IN EUM COLLATAM,

ANIMO GRATISSIMO,

SUMMAQUE OBSERVANTIA,

D. D. C.QUE

AUCTOR.

Dr. Woodford fr

# DISSERTATIO MEDICA

## INAUGURALIS

### QUÆDAM DE

# PHRENITIDE

## COMPLECTENS.

Auctore Joanne Goodwin Welch.

## PRÆFANDA.

Jam diu varia adversæ valetudinis genera, quibus patent homines, ad capita duo medici referre consuerunt. Alios, nempe, morbos Acutos, alios Vetustos, sive *Chronicos*, posuerunt. Horum utrique summum medicorum studium jure optimo sibi vindicant; illi, quod actionibus vitæ flammæ

alendæ necessariis impediendis, crebro mortem repentinam afferunt: hi vero, quod citra præsens vitæ discrimen, actiones, quæ ad beate vivendum operam conferunt, hebetant et infirmant; et exinde vires animi et corporis conterunt, summas ærumnas moliuntur; seriusque ocius in fatum abeunt.

Legibus academicis obsecutus, quæ omnibus summos medicinæ honores ambientibus imperant, ut aliquid ad artem medicinalem pertinens literis mandent, morbum acutum, cui nomen "Phrenitis," selegi, de quo disputarem; qui aliquanto rarius sane, quam aliæ inflammationes, torquet: necem tamen, quoties accedit, citissimam fere allaturus. Eo potius de cerebri inflammatione scribere in animo est, quod *idiopathica* non frequenter medico obvenit, et ideo pleraque minus nota, inquisituque dignissima, sibi præfert. Haud sane professus novi me aliquid prolaturum, hoc opus aggredior: consilium est non nisi quæ, fontibus alienis deducta, sive quæ usu, inter ægros curandos, didicerim, exponere; et inde ingenia acriora ad argumentum tanti momenti agitandum impellere.

## DE MORBO DEFINIENDO ET ORDINANDO.

Hanc inflammationem, classi " Pyrexiæ" ordinique " Phlegmasiæ" subjectam, CULLENUS ita definivit: " Pyrexia vehemens; dolor capitis; rubor faciei et oculorum; lucis et soni intolerantia; pervigilium; delirium ferox, vel Typhomania." Medici alii aliter cerebri inflammationem ordinarunt. Nonnulli eandem, nisi alio morbo jam præsente nixam, omnino subesse posse negant: quidam opinione huic contraria usi, contendunt *Phrenitidis Idiopathicæ* duas esse species: unam nimirum membranarum, alteram cerebri ipsius, inflammatione contineri. Quibus eo assentiri nequeo, quod membranæ circumjectæ et cerebrum ipsum nexu arctissimo invicem socientur; adeo ut vix aut ne vix quidem illæ, hoc non participe, hocve, illis integris, inflammari possint. Potius conjicio, utramque harum partium inflammari, ita tamen, ut modo membranæ præ cerebro, modo hoc præ illis, inflammatione torqueantur. Ne multa, hunc morbum duplicis esse generis perhibeo; nimirum, modo *Idiopathicum*, id est, nullo malo alio jam urgente exortum; alias, *Symp-*

*tomaticum*, morbo, scilicet, antea illato innixum. *Phrenitis Symptomatica* febres, præcipuam causam genitricem, agnoscit: *Typhus* nempe, vel febris flava, aut alia febris ardentior, ob corporis indolem propriam, eo interdum omnes actiones interiores incitat, ut alicujus viscerum inflammationem accendat; modo cerebri, alias ventriculi, alias pulmonis, &c. *Phrenitidem* vero *Typho* aliave febre accensam, quam plurimum ab eadem *Idiopathica* discrepare, hinc satis patet; quod illa nunquam fere, mortui cadavere patefacto, membranas cerebri opacas, crassiores, invicem conglutinatas, aut pure effuso obductas, exhibet; quæ omnia huic sæpissime contingunt.

De *Phrenitide Idiopathica* potissimum disputare statui.

## DE SIGNIS.

Inflammatio cerebri, veluti aliorum viscerum, ex animi et corporis languore et summa molestia incipit. Membra omnia inhorrescunt; æger cibos fastidit, sumptosque evomit; capitisque et ar-

tuum dolore cruciatur. His indiciis brevi superveniunt actionis incitatissimæ notæ: dolor capitis ingravescit: homo irrequietus noctu vigilat; si dormiat, quies brevior nec refectura somniis diris crebro et repente intercluditur. Cor arteriæque valde concitantur; potissimum arteriæ *temporales* et *caroticæ;* quæ citius duriusque quam fert natura, saliunt, atque tam vehementer, ut motus oculo medici, plures passus distantis, pateat. Oculi rutili coruscant; vultus perquam rubescit, et quasi feritatem sibi induit: lux oculos, aures sonus, offendit: hæque assidue tinniunt. Dolor capitis increscere pergit; sensusque omnes admodum acuuntur: ne multa, æger delirat. Spiritus trahitur et emittitur æquo crebrius atque difficulter: arteriæ, (quod jam notavi) concitantur; nec vero omnibus *Phrenitide* implicatis eodem agitantur motu: sæpius equidem, dure, citissime et exiliter micant; interdum molliter, tardius et plenuis. Secernenda et excernenda ubique corporis secerni et excerni pene desinunt; cutis summa inarescit, et præter naturam exardet: fauces solito humore vacant; quo fit, ut æger sitiat: nausea et vomitus summum inferunt cruciatum Alvus pigerrima vix descendit: urina

redditur aut rufa et parca, aut nulla: notæ omnes generis nervosi incitati continenter ingravescere pergunt; quales sunt, dolor capitis, aures sonantes, oculi ruberrimi lucisque non tolerantes, et quæ sunt ejusmodi.

Jam notavi ægrum delirare, id est, sensus internos non solum acui, verum etiam abnormes fieri. Hic mentis habitus ægri sermone indicatur: qui rerum circumjectarum atque sui inscius, non mala præsentia sed ficta et inania, sermone obscuro et alieno edito, queritur. Nunc demum signa hujus morbi maxime terrentia invadunt. Mens rerum non existentium imagines percipit; vel res ipsas præsentes dotibus, quæ non adsunt, præditas esse sentit; unde æger aliquando tantum exagitatur ut, quasi perterritus vi insolita, ex improviso, e lecto prosiliat. Quemque prius carissimum odisse cœpit, minisque prosequitur. Dein subito hoc genus delirii, sanguine intus fuso, in stuporem altum abit. Nec vero omnibus contingit hæc subita mutatio; quidam pedetentim ex delirio feroci in *Typhomaniam* labuntur: id vero delirii genus nomen ex eo deduxit, quod *Typho* febrientes fere invadit. Satis recte his vocibus definitur; "delirium sensu hebetato stipatum;" in-

felix enim soporatus jacet; vix loquendi potens secum mussitat; non rebus circumjectis, sed imaginibus fictis menti inscriptis impulsus; ubi huc ventum est, mortem in propinquo esse constat. Homo sentire artusque omnino movere posse desinit. Urina modo suppressa fluere desinit, alias solutis *sphincteribus*, urina et stercus animi injussu elabuntur; totum corpus gelido madet sudore; demumque tantas mors exoptanda ærumnas finit.

## DE VITIIS, CEREBRO PATEFACTO, DETECTIS.

Cadavere patefacto, cerebrum vestigia inflammationis prægressæ solita sibi præfert; arteriæ et et venæ cerebri sanguine præter naturam turgent; nec raro eo usque, ut, iisdem diruptis, cruor intus fundatur, vel in cerebri penetralibus, vel inter ejus membranas. Alias latex tenuis intus profluxisse conspicitur; modo membranæ cerebri cohærent, ope *fibrinæ* secretæ invicem agglutinatæ. Quibusdam tubercula cerebro inesse repeKriuntur: de quibus prædicare volo, non inflammationem ea progignere; sed potius tubercula

prius facta cerebrum inflammationi subeundæ aptasse. Accepimus cerebrum vel totum, vel ejusdem partes, æquo duriora extitisse. Qui vero inflammatione cerebri gravissima laboraverunt, his, inciso cadavere, membranæ cerebri exulcerationem, ipsumque abscessus amplos exhibuerunt; vel latice tenui, vel pure vel sanie vitiosa, refertos. Nonnulli literis tradiderunt, cerebrum modo gangræna corruptum inveniri; quem tamen eventum perraro *Phrenitidi* contingere, judicare oportet.

## DE DIAGNOSI.

Parvi interest inflammationem cerebri *Idiopathicam* ab ea, quam* *Typhus* accendit, discernere posse; siquidem eadem fere remedia utrique conveniunt. Neque tamen dijudicare difficile erit; signa enim *Typhi* prægressa fallere nequeunt

---

* Hic voce *Typhus* utor, ad febrem continuam indicandam, ARMSTRONGIUM secutus; eam scilicet febrem, quam CULLENUS *Synochum* appellat; quam, quoties inflammationem alicujus viscerum accendit, ARMSTRONGIUS *Typhum inflammatoriam* vocat.

supra quoque memoravimus, inflammationem febri innixam neque suppurationem, neque secretionem *fibrinæ* parere.

Multi multa de membranarum a cerebri ipsius inflammatione dignoscenda scripserunt, accurateque hanc rem inquisiverunt. Cum vero hæ, cerebro non plus minusve mali participe, vix inflammari posse videntur; cerebrumque inflammatum vix suum malum non cum membranis communicat; hæc quæstio parum utilis esse apparet. Quod si conceditur, alterutram harum partium, altera illæsa, inflammari posse; plerique contendunt hæc duo mala ita invicem dignoscenda esse; membranis scilicet inflammatis, sentiendi facultatem præter naturam acui, ideoque dolorem capitis sævissimum, oculos lucis, aures soni impatientes, insomniam, delirium ferox, et motum arteriarum durum, exilem et citiorem, harum inflammationem significare: contra, cerebro inflammato, vim sentiendi hebetari; ideoque ei contingere dolorem obtusum, dormiendi vel dormitandi cupiditatem, *typhomaniam,* atque pulsum arteriarum molliorem. Quod si inquiritur, cur sensus, cerebro ipso inflammato, hebetetur, respondeo; hoc viscus inflammatum vix aut ne vix quidem, non vasis

tumefactis opprimi vel gravari; medicisque notissimum esse, hunc cerebri habitum vim sentiendi obtundere. Ne multa, inflammatio membranarum atque cerebri ipsius invicem, sic ut jam retuli, discrepare feruntur, eo quod, illi deest, huic subest, aliqua cerebri compressio.

Quod ad *Maniam* pertinet, hisce indiciis *Phrenitis* ab hoc malo dignoscitur: *Mania* est delirium ferox citra febrem; *Phrenitis* est delirium ferox, febre stipatum: quæ voces significant *Maniæ* deesse capitis sævum dolorem, motum arteriarum durum, oculos lucis, aures soni non tolerantes, &c. *Mania* diu perstat; *Phrenitis* cita morte vel salute finitur. Illa tentatis quam hac vires artuum multo magis intenduntur. *Maniacus* de re una fere delirat; de cæteris omnibus rite et naturæ convenienter loquitur, atque ratiocinatur; nec assidue mente captus, subinde non omnino delirat: contra, *Phreniticus* de rebus omnibus circumjectis pariter delirat, atque continenter.

## DE CAUSIS ABDITIS.

Causæ morborum abditæ sunt, quæ corpora iis subeundîs aptiora, id est, ad eos procliviora reddunt. Quod ad *Phrenitidem* attinet, quisque sanguine plenior et speciosior, juventa roboreque florens, eidem admodum est opportunus. Ex temperamentis, sanguineum atque *cholericum* ei homines aptant. Cœlum ardentius eodem spectare fertur: sed anceps hæreo hocne ad causas abditas an excitantes pertineat. Haud inficiandum, Britannos aliosque Europæos, qui sedes patrias India commutaverint, persæpe in cerebri inflammationem incidere, ardoribus nempe insolitis, ideoque exitiosis, objectos. Veri est simile, æstum utraque ratione nocere; scilicet, corpus proclivius reddere, simulque operam ad morbum ipsum movendum conferre.

## DE CAUSIS EXCITANTIBUS.

Inter has eminet causa jam relata, nimirum, sol torridus; qui non solum cor, arterias, genusque

nervosum incitando, proclivitatem gignit, verum etiam haud raro cerebri inflammationem derepente infert, maximeque, si homo sub dio caput nudum ardoribus meridianis objecerit. Quasi fulmine percussus interdum subito concidit; quo fit, ut hæc causa apud Latinos, " ictus solis," apud Gallos, " coup de soleil," vocetur. Nec raro *Phrenitis* caput ictu violatum sequitur; id est, quoties ictus, citra calvariæ partem fractam aut intrusam, ex improviso sensu et motu hominem orbaverit. Hoc mali genus Concussio Cerebri nominatur; nec inflammatio, nisi aliquot horis exactis, accedit, prægressis stupore, viriumque lapsarum indiciis. Potus omnigeni, meraciores præsertim, *alcohol* et latices ei similes, atque cibus abundantior et opimus, veluti ex carnibus conditis, hanc inflammationem ciere possunt. Exercitatio vehementior interdum eandem cievit. Hinc milites, inter munera exequenda, itinere longo fatigati, aliquando in eam labuntur. Nec latet ratio; cursus enim expeditior non solum sanguinem ad cerebri arterias acriter impellit, verum etiam quodammodo obstat, quo minus facile per venas reducatur.

Mens porro turbata cerebri inflammationem

subinde accendit. Ira scilicet, amore, vel aliunde concitata, efficit ut vultus rubescat, arteriæ capitis citius fortiusque micent, et demum *Phrenitis* ipsa superveniat. Studia literarum intentiora aliquando etiam in eam desierunt. Denique, mens quovis negotio diu et acriter intenta vel solicitata, eo usque genus nervosum perturbare potest, ut cerebri inflammatio accendatur.

Huc accedunt lux clarior oculis, auribus soni intentiores, illata, quæ interdum malum propositum provocarunt. Eodem pertinet quævis exinanitio solita derepente suppressa, veluti cursus sanguinis e naribus, pulmone, ventriculo; aut menstrua. Cutem denique e quovis *Exanthematum* ex improviso deflorescentem, subinde *Phrenitis* excipit; maximeque omnium, *Erysipelas* hunc exitum habere solet.

Ex omnibus vero causis jam propositis, nulla crebrior est, aut indagatu dignior, quam Ictus Solis. Jam memini, milites Britannicos ad Indiam aliamve terram circulo æquinoctiali propinquam trajectos, sæpe, inter ambulandum, soli meridiano objectos, in *Phrenitidem* labi. Nec solum inter ambulandum corripiuntur; quidam enim laboribus defessi cæspiti se committunt, atque inter dormi-

endum, sole ardentissimo eo torrentur, ut demum experrecti delirent, omnibusque cerebri inflammati indiciis plectantur.

## DE PROGNOSI.

Si in animo habeamus ea, quæ cerebrum, mortuorum corporibus scalpello incisis atque introspectis, ostendit; satis in aprico erit, *Phrenitidem* vix aut ne vix quidem sanitate reduce finiri; duosque præsertim eventus habere, nimirum, vel suppurationem, vel lymphæ aut cruoris profusionem. Si hæc me non fefellerint, constat, hunc morbum luctuosissimum esse, omniaque ejus propria metum, nihil fere spem, incutere. Quum vero fieri potest, ut alii eo implicati magis, alii minus periclitentur; scire licet, de exitu futuro judicandum esse, perspectis ætate, corporis indole, sexu, vitæ victusque genere prægresso, atque, præ omnibus, in animo perpensis signis ipsissimis urgentibus, et tempore quo invadere cœperint.

Quanto acerbiora sæviant mala, tanto citiori pede in mortem abire solent; quo fit, ut perpauci illi, qui ad salutem redeunt, levius et simul ali-

quanto diutius ægrotent. *Phrenitis* occisura raro diem septimum transgreditur.

Salvus est futurus, cui, citra stuporem, aut vires fractas, sanguis sua sponte e naribus profluit, aut alvus biliosa et liquida descendit, urinave redditur copiosa et crassa; cuive cutis summa ubique æqualiter sudore leni tepidoque madet; aut glandulæ circa aures intumescunt. Ne multa, eadem fere exitum felicem præsagiunt, *Phreniticis*, quæ febrientibus.

Notatu dignum est, huic inflammationi abeunti vel debellatæ non raro supervenire *maniam*, vertiginem, *amaurosin*, aut visum imminutum vel abnormem; quæ, nulli arti medicabilia, integram fere vitam perseverant; eo quod fabricam cerebri aut cujusve ejus partis vitiosam, inflammatione prægressa genitam, insigniunt.

In præcipiti versatur, qui sordem atram piceamve evomit; simulque delirat, alteve stupet; cuique, siti deficiente, lingua et fauces arescunt; cuive ulcera, siqua adsint, subsidere et siccescere cœperint. Is quoque moribundus est, cui urina vel supprimitur, vel animi injussu elabitur; qui dentibus frendet; cuique artus tremunt aut con-

velluntur, tendinesque digito imposito subsilire sentiuntur.

## DE SIGNORUM RATIONE.

Hucusque absoluto argumento proposito proximum est, ut signorum rationem inquiramus. Hæc vero longam orationem non desiderabit; omnes enim inflammationes eandem pene signorum rationem sibi præferunt. Haud sane ignoro, nervos cordis potissimum a *gangliis* nervi *sympathetici cervicalibus*, deduci, ideoque cerebrum cordi parum imperare; neque tamen dubitari potest, quin cor imperio perinsigni cerebrum regat; hujus enim actio pene quiescit, si qua de causa illud sanguinis idoneæ molis ad caput impellendæ impotens fit, id est, *syncope* accedit. Contra, quicquid efficit ut cor et arteriæ sanguinem copiosius et validius ad caput impellant, actionem cerebri acuit et intendit. Si quis inquirit, cur hæc res ita se habeat, respondeo, ipsam notissimam esse. Pro comperto igitur habeo, notas *Phrenitidis* ineuntis arteriis cerebri perquam concitatis deberi.

*Typhomania*, id est, delirium stupore stipatum,

arteriis et venis cerebri eo turgentibus, ut hoc viscus quodammodo opprimatur, tribuenda esse videtur; uti supra perhibui.

Quod ad notas istas pessimas attinet, quæ fatum antecedere consuerunt, quales sunt, stupor altus, *amaurosis,* muscæ oculos circumvolitantes, vox faucibus hærens, vorandi difficultas, urina suppressa, animive injussu reddita; scire licet, has omnes notas cerebrum humore effuso gravatum prædicare; id est, cruorem, lympham, aut pus cerebri cavis insidere, vel membranis interjacere.

## DE MEDENDI RATIONE.

Hæc inflammatio, haud secus atque omnes fere aliæ, corpus vacuefieri et sedari desiderat, idque nulla interposita mora. Ex omnibus vero medicinæ auxiliis, quæ deplendo accommodantur, sanguis missus maxime proficit. Quod ad mittendi rationem, permagni refert ut venæ cerebri quam celerrime exinaniantur: ideoque arteriam *temporalem,* aut venam *jugularem,* secare optimum erit. Cum vero, hac vena incisa, non semper sanguinis cursum compescere licet, quippe

quæ premi non possit, satius erit arteriam jam relatam, aut brachii venam, secare: nec parvi intererit sanguinem per hiatum amplum effluere; paucæ enim unciæ ita elicitæ plus inflammationem debellabunt, quam ingens copia tardius detracta. Meminisse sîmul juvat, hoc remédium vires eo magis frangere, quo plus sanguinis auferatur, non quo citius, segniusve effluat. Si, vena brachii semel percussa, virium ratio id iterari non sinit, nec simul inflammatio conquieverit; hirudines vel cucurbitulas cruentas temporibus imponi oportebit. Sanguis, capite erecto, optime mittitur : eo enim minus ita detractum inflammationem cerebri sedare poterit. Quantum sanguinis demendum sit, aut quoties, nulla præcepta perpetua indicare possunt : quemque medicum prudentem id docebunt ætas, vires, morbi signa, vitæ genus prægressum, &c. Nec sanguine mittendo unice materiam demere licet; quum omnes humores secreti ex arteriis funduntur, remedia hos auctura corpus extenuent necesse est. Utendum est igitur iis, quæ alvi dejectionem atque sudorem movent.

Alvi purgatio ratione triplici prodesse videtur: nimirum, sanguine deorsum ferendo a capite ad

arterias *mesentericas;* efficiendo, ut plurimum laticis ab his arteriis secernatur, et inde humores circumeuntes minuantur; denique intestinum sorde irritatura expediendo.

Sanguinem a capite deorsum ferri sumptis medicamentis dejectionis movendæ potentibus, testatur vultus collapsus et pallidus, simul atque tormina illata dejectionem in propinquo esse indicaverint.

Alvus *Phreniticis* optime solicitatur, prius ingesto *Submuriate Hydrargyri,* deinde *Sulphate Magnesiæ,* aut quovis alio salium mediorum; qui optime conveniunt, eo quod non solum humores deorsum ferunt et imminuunt, alvumque exonerant; verum etiam refrigerant. Hæc remedia venas jam satis vacuefactas rite sequuntur. Alvum quoque ducere, liquoribus idoneis per anum injectis, sæpe utilissimum est; maximeque si nausea et vomitus medicamina ingeri aut retineri haud sinunt.

Hisce absolutis, vel ineunte morbo, si potest fieri, caput ad cutem tondere, et dein aqua frigida aceto mixta lavare, proderit. Nonnulli vero caput imposito *emplastro meloes vesicatorii* exulcerari jubent. Hoc remedium interdum valde

profecisse fateor; cum tamen nunquam non perquam irritat, non prius utendum, quam venæ jam penitus exinanitæ, et alvus probe vacuefacta, inflammationem et incitationem plurimum devicerint. Nec celare oportet, exempla non deesse *Phrenitidis* exulcerantibus exasperatæ: quod præsertim accidit, ubi caput ictu violatum acerbam cerebri membranarum inflammationem cieverit. Pari ratione, hæc remedia interdum *Ophthalmiam* intendunt: id est, *Erysipelas* ad oculum dispergendum movent.

Quoties exulcerantia medico solerti opem latura videntur, satius erit, ni fallor, *Tartrate Antimonii* et *Potassæ* adipe mixto, quam *Emplastro meloes vesicatorii*, uti: quippe quod *pustulas*, non *bullas* movet, multoque minus genus nervosum irritat.

Nauseam, citra vomitum, quidam excitari jubent, dato pauxillo *Tartratis Antimonii* aut *Callicoccæ Ipecacuanhæ* radicis; nauseam perinsigni facultate cor et arterias sedandi præditam esse, et inde persæpe inflammationem, præcipue pulmonis, quasi extinguere, res est notissima: neque tamen eam non *Phreniticis* perniciosam existimo; quibus scilicet ventriculus tam irritabilis es-

se solet, ut pauxillum *Tartratis Antimonii* quantulum vix nausea sanum implicaret, eos vomere faciat. Gregorius, qui tot per annos summa laude Academiam Edinensem illustravit, inter prælegendum, dicere solebat, vigesimam grani partem salis jam relati febrientibus inflammatione tentatis, vomitum intulisse. Quicunque autem animo secum volvit, quantum vomitus totum corpus exagitet, quantoque impetu sanguinem ad cerebri vasa dirigat, facile intelliget eundem summo studio præcavendum esse, ideoque medicamina nauseæ ciendæ habilia prætermittenda esse.

Hæc duo remedia, *Digitalis purpureæ* folia, *Acidum*que *Hydrocyanicum*, genus nervosum, ideoque cor et arterias, perquam sedare et infirmare posse, comperta sunt: quo fit, ut in plures morbos haud parum valeant, maximeque inflammationes, cordis vitia, *aneurisma*, *hæmorrhagias* quasdam, &c. At vero cautissima opus est manu, ne nausea et vomitu ciendis plus lædant, quam, cerebri actione moderanda, juvent.

Quæ sudorem eliciant, multum opitulantur: sudor enim extenuat et refrigerat; id est, aliquid humoribus circumeuntibus aufert; atque teporem imminuit, ob humorem evolutum in vaporem

conversum. *Aqua acetatis ammoniæ,* guttis paucis *vini Tartratis Antimonii* mista, optime conveniet, quovis potu tepido adjecto. Pedes et crura aqua tepida vesperi lavare proderit.

Refrigerantia summam opem pollicentur; qualia sunt, succi fructuum aciduli vel acido-dulces; *nitras potassæ,* et alia istiusmodi.

Quæcunque sentiendi instrumenta stimulent, studio summo tollenda sunt, præsertim, lux et sonus. Cubandum est in conclavi spatioso, tenebroso, quod perflatum liberum accipiat.

Si genus nervosum perquam sit irritabile, nec vires corpus amplius depleri sinunt; capiti tonso crebro affundenda vel aqua aceto mista, (uti jam proposui), vel *Æther Sulphuricus,* quippe qui celerrime in sublime latus perquam ardorem minuit. Aliquando pileus ex argilla madefacta confectus, capiti impositus, ægrum valde recreat.

Permagni refert, ut æger noctu dormiat. Omnia remedia jam dicta huc operam conferunt; præsertim, pedes aqua tepida loti, sudor motus, calorque lux, et sonus, sublata. Quod si, his non obstantibus, homo vigilet, quovis *narcoticorum* utendum. *Opium* dari nolumus, nisi, cæteris frustra concessis, eo vacare non possimus : quam-

vis enim somnos conciliat, secernenda tamen excernendaque supprimit, et inde notas inflammationis auget; huc accedit quod, quæsitissimus animi languor et angor, ægrum maxime cruciaturi, subsequuntur. Si conceditur, *vinum Tartratis Antimonii* adjici debebit, quo cutis halitus provocetur. Malumus tamen *Tincturam Hyoscyami nigri* vesperi dari. Victus ex tenuissima materia esse debet. Carnes, vinum et omnigeni latices meraci, magis angue et cane fugienda: quod præceptum equidem vix violari potest, ob cibi desiderium pene extinctum. Potui aptissimus erit fons sincerus, aut succis acidulis imbutus. Ne vero æger inedia ipsa maceretur, potus aciduli *fœcula, mucilagine, albumine,* et *saccharo,* imbuti sunt, sumendi; quamvis enim vires cibi concoctrices, chylique confectrices, prosternuntur; veri tamen est simile, venas *mesentericas* jam dicta ingesta absorbere.

Denique, nullus fere morborum *regimen antiphlogisticum* diligentius servari postulat, quam inflammatio cerebri; adeo ut curatio omnis hisce vocibus contineatur: "Tempestive est deplendum, sedandum, atque incitamenta auferendum."

Nullum valetudinis adversæ genus præsens

auxilium magis flagitat; ipsissima enim remedia, quæ serius admota inutilia sunt, cito et acriter adhibita, longe sæpius ægrum fato eripere poterunt.

FINIS.